

De nominibus secundarum intentionum. CLXI

vt sub animali non solum homo continetur. sed etiam equus. Ut pars quidem secundum quod minus commune continet in sua ratione non solum magis commune. sed etiam alia. vt homo non solum animal sed etiam rationale. Sicut etiam animal in se consideratum. prius est in nostra cognitione quam homo. sed homo prius est in nostra cognitione. quam animal sit pars rationis eius.

De hoc nomine abstractum unde et quot modis dicitur. et quis est modus significandi. Ca. CCLXXVIII.

Hoc autem nomine abstractum patet eius acceptio secundum immediatam premissam in diffinitione de abstractione in primo capitulo de vniuersali. quia omnibus istis modis de quibus dicitur fieri talis abstractio. illa res abstracta in quolibet modo illorum abstractum dicitur. et eius oppositum potest dici concretum. Preter hos modos dicitur abstractum proximum ad concretum secundum modum significandi. vt abstractum dicatur illud quod significat formam absolutam. Concretum hoc quod est ad aliquid contractum. Et isto modo respectu omnium dictionum inuenitur abstractum et concretum. vt hoc quod dico ens et entitas. Hoc enim quod dico ens est concretum. et dicitur illud quod habet entitatem. Sed hoc quod dico entitas dicitur illud quod habet formam. vel dicitur illud quo ens est ens. scilicet ipsam formam. Idem patet in hoc quod dico vniuersale quantum ad secundas intentiones. quod vniuersale est concretum. et significat illud quod habet naturam vniuersalitatis. Vniuersalitas autem ipsam naturam vel formam. qua vniuersale est vniuersale. Idem dico in substantia. homo est concretum. et significat quod habet naturam humanam. sed humanitas est abstractum et significat illud quo est homo. et dicitur de albo et albedine. ^{idem} vt accidentibus. Quia album significat illud quod habet albedinem. sed albedo significat ipsam naturam siue ipsam formam. **U**n generaliter concludo quod concretum est